

les noms des témoins ni déposé les documents, comme vous y avez été invité, sous peine de forclusion, par les deux lettres recommandées du 20 Avril et du 1<sup>er</sup> Mai 1922, acceptez-vous la continuation du procès? » répondit: « Qu'il persistait à s'opposer à l'annulation de la vente du domain, mais qu'il maintenait formellement l'appel relevé par lui devant l'Officialité supérieure ». Iudex tunc eum monuit, quod si in deneganda documentorum productione persisteret: « mardi, 16 courant, à 10 heures, sera prononcée la clôture du procès ». Statuta die comparuit conventarum Procurator et Officiali semel atque iterum quaestionem proponenti: « Mr Jules renonce-t-il à son appel à la curie supérieure et accepte-t-il de soumettre l'affaire de la nullité de la vente du domain à la décision du Tribunal de X? » constanter respondit: « J'ai été convoqué Samedi dernier à la présente audience pour entendre le prononcé d'un jugement et je viens pour l'écouter ». Iudex, Promotori Fiscali accusanti et instanti, ut Adv. Julius contumax condemnaretur, eo quod appellationi renuntiare et causam de venditione Tribunali dioecetano subiicere nollet, adhaerens, contumaciam declaravit, ad ulteriora processit atque eadem die, post meridiem, sententiam definitivam dedit.

Adversus contumaciae decretum die 24 maii, scilicet tempore utili, Adv. Julius ad H. S. Tribunal provocavit, sed tantum die 11 iulii iudicem ad quem appellationem prosequiturus petiit. Iudicio tamen instaurato ac, prout par erat, Promotore Iustitiae vocato, dubia sequentia inter partes rite concordata sunt: I. An appellationem adversus decretum contumaciae diei 16 maii 1922 Sorores Instituti N., loci X, tempore utili prosequutae fuerint. Et quatenus affirmative II. An eadem appellatio admittenda sit.

2. — Appellatio ex can. 1881 interponi debet coram iudice a quo sententia prolata est intra decem dies a notitia publicationis sententiae; ex can. 1883 autem « prosequenda est coram iudice ad quem dirigitur intra mensem ab eius interpositione, nisi iudex a quo longius tempus ad eam prosequenda parti praestituerit », ita ut « inutiliter elapsis fatalibus appellatoriis sive coram iudice a quo, sive coram iudice ad quem, deserta censeatur appellatio » (can. 1886).

3. — In casu appellatio a decreto contumaciae die 16 maii lato praesente procuratore, tempore utili, nempe intra decendium, die 24 maii interposita fuerat coram iudice a quo, minime vero promota est coram iudice ad quem, cum conventarum Procurator, forsan iuris canonici ignarus, tantum die 11 Iulii S. R. Rotam petiisset. Neque iudex a quo prorogationem ultra mensem concesserat, quippe quae nec petita esset. In libello diei 11 Iulii Sororum Procurator insinuare videtur

frustra a se authenticum sententiae seu decreti exemplar petitum esse, acta tamen minime probant id factum intra tempus utile. Appellatio igitur deserta censenda est.

Hinc propositis dubiis definitive sententiamus respondentes ad primum: negative; ad secundum: provisum in primo.

Datum in sede tribunalis die 24 iulii 1930.

N. Actuarius

N. Ponens

N. Iudex

N. Iudex

### CAPUT XXXIII.

#### DE IURAMENTO AESTIMATORIO

Can. 1833. — In deferendo iureiurando aestimatorio:

1<sup>o</sup> Iudex a parte, quae damnum passa est, petat ut sub iurisiurandi sanctitate designet res sibi ablatas vel dolo perditas, earumque pretium et valorem secundum probabilem suam aestimationem exprimat;

2<sup>o</sup> Si taxatio iudici nimia videatur, eam ad aequitatem reducat, prae oculis habens omnia indicia et argumenta usu comprobata, adhibitis etiam, si opus sit, peritis, quo magis veritati et iustitiae consulatur.

1. Iuramentum aestimatorium habet locum quando quaeritur aestimatio rei controversae, quando nempe aliquis ob vim vel dolum alterius (Cf. Sebastianelli, *De iud.*, n. 163) res suas amisit et quamvis iuridice constet de vi ac dolo, damni tamen illati quantitas non potest determinari ob defectum probationum. Proinde ille qui damnum passus est debet iudici exhibere notulam rerum amissarum et earundem valorem indicare. Si iudex viderit ex adiunctis et secundum communem aestimationem iustum valorem, iuramentum ei defert, ac iuramento praestito, reus super eodem valore et quantitate condemnabitur. Si vero iudicaverit nimium fuisse valorem, illum minuet et super quantitate a iudice taxata, pars laesa iuramentum praestare debet, vel recusare iuramentum et appellationem interponere a gravamine sibi a iudice illato.

Exemplum petitionis a iudice parti laesae propositae:

*Nos Officialis, cui delatum est onus detegendi veritatem ut parti laesae restituatur quae sua sunt, vel praetium pro aequitate reddatur, praesenti decreto decernimus ut coram Nostro Tribunali, legali citatione die et hora etc. compareas ad oretenus sub iuramenti sanctitate designandum quale damnum passus sis, necnon quales res fuerint ablatae vel dolo perditae, earumque praetium et valorem secundum suam probabilem aestimationem exprimas, monentes quod si quae sub iuramenti vinculo depones non veritati respondere videantur, ita ut taxatio nimia aestimetur, propriis expensis eligemus peritos, quo magis veritati et iustitiae consulatur.*

*Datum etc.*

*Actuarius N.*

*Officialis N.*

Formula iuramenti:

*Ego N. N. tactis SS. Dei Evangelii testor mihi ablatos fuisse.... quorum valor ascendit ad duo millia libellarum etc.*

*N.*

#### CAPUT XXXIV.

#### DE IURAMENTO SUPPLETORIO

Can. 1829. — Si habeatur semiplena tantum probatio, nec alia probationis adiumenta iam supersint et iudex aut iubeat aut admittat iusiurandum ad probationes supplendas, hoc iusiurandum dicitur *suppletorium*.

1. Iuramentum suppletorium iudex defert uni ex litigantibus ob defectum plenae probationis; hoc non potest recusari a parte cui delatum est, nec potest referri (Sebastianelli, P. I, 162).

2. Iudex deferre debet iuramentum personae, quae non sit suspecta de periurio, et cum causae cognitione: prohibetur enim delatio iuramenti in causis criminalibus criminaliter actis, in causis civilibus, valde arduis, quae criminalibus aequiparantur, in causis omnibus famosis quae reum reddunt infamem, et in causis matri-

monialibus et professionis religiosae, quoties agatur de vinculi dissolutione.

3. Iuramentum fieri debet in praesentia partis adversae et proposita formula, quam pars quae iurare debet, admittere potest aut corrigere. Hoc iuramentum a iudice deferri potest vel ad instantiam partis, vel ex officio.

Exemplum iuramenti suppletorii:

*Anno..... die.... mense..... in aedibus..... comparuit N. N. fil. N. natus..... domicil..... qui requisitus a me infrascripto iudice, respondit:*

*1° se velle inire matrimonium cum N. N. (vel aliud),*

*2° se commorasse variis in locis ratione suae professionis et familiae,*

*3° se scivisse a suis parentibus fuisse baptizatum, in loco N. et numquam se matrimonium iniisse, sive coram Ecclesia vel coram magistratu civili,*

*4° se non posse praebere documenta scripta a Curiis ecclesiasticis, quae probent se fuisse baptizatum et liberum ab omni vinculo matrimoniali, sed deponit cum iuramento tactis SS. Dei Evangelii, sciens vim et sanctitatem iurisiurandi, se baptizatum fuisse, ex attestatione suorum parentum, et numquam matrimonium iniisse.*

*N. N. post lectionem suae depositionis, eam subscripsit.*

*Notarius N.*

*N.....*

*Iudex N.*

#### CAPUT XXXV.

#### DE IURAMENTO DECISORIO

Can. 1834. — § 1. Non solum ante initam litem partes convenire possunt ut controversia per iusiurandum ab alterutra praestandum transigendo dirimatur, sed pendente quoque lite et in quolibet eius momento et statu, altera pars potest, iudice probante, alteri iusiurandum deferre, ea conditione ut quaestio sive principalis sive incidens, secundum iusiurandum decisa habeatur.

1. Iuramentum litis decisorium parum differt a iuramento extraiudiciali, et in hoc consistit ut unus ex litigantibus sive actor, sive reus (Cf. Sebastianelli, *De iud.*, n. 161), incepto iudicio, iudicis auctoritate defert alteri parti iuramentum, quod si praestetur, secumfert controversiae decisionem.

2. Pars vero, cui delatum fuit iuramentum non tenetur iurare, sed potest iuramentum referre, et deferens tenetur iurare. Iuramentum praestitum vim habet rei iudicatae producentis actionem aut exceptionem iuratoriam; non admittit appellationem aut remissionem, etiam praetextu quod nova instrumenta fuerint reperta; nam in casu habetur quaedam species transactionis quae vim conditionis habet ad decisionem causae. Si iuramentum delatum aut relatum praestitum non fuerit, reus habetur pro convicto, et actor repellitur ab agendo.

Exemplum decreti ad deferendum iuramentum:

*Cum una ex partibus litigantibus N. N. dirimere quaestionem desiderat per iuramentum decisorium quod altera pars praestare deberet, Nos Officialis Tribunalis dioecesei N. ad rectam iustitiae administrationem, ad normam can. 1834, praesenti decreto disponimus ut alteri parti iuramentum coram Nobis in aula Tribunalis die et hora etc. deferatur et praestetur, ea conditione ut quaestio sive principalis, sive incidens, secundum iuramentum decisa habeatur, non obstantibus quibuscumque; et per Nostrum actuarium notificetur.*

*Datum etc.*

Notarius N.

Officialis N.

## CAPUT XXXVI.

### DE CONCLUSIONE IN CAUSA

Can. 1860. — § 1. Expletis omnibus quae ad probationes producendas pertinent, *ad conclusionem in causa* deveniendum est.

§ 2. Haec conclusio habetur quoties aut partes a iudice interrogatae declarent se nihil aliud deducendum habere, aut utile proponendis probationibus tempus a iudice praestitutum elapsus sit, aut iudex declaret se satis instructam causam habere.

§ 3. De peracta conclusione in causa, quocumque modo ea acciderit, iudex decretum ferat.

1. Allatis probationibus tempore a iudice praefinito fit locus conclusioni in causa, quae definitur actus iudicialis quo utrique parti ulterior probationum, seu exceptionum, productio interdicatur, idque in iure inductum est ne lites in infinitum ex litigantium fraudibus protrahantur. Conclusio in causa non debet confundi cum publicatione processus, haec enim fit ut respective partes ab allegatis in processu se defendant, illa ut prohibeantur posteriores probationes.

2. Decretum conclusionis in causa fieri potest a iudice vel per declarationem partium, et hoc habetur tanquam renuntiatio ulteriorum probationum, vel quia elapsus utile tempus ad probationes ferendas, vel quia ipse iudex suo iudicio putat causam sufficienter instructam. Iudex in conclusione causae partes invitare debet *ad dicendum et allegandum in iure et in facto*, idest, ad deducendas conclusiones ex allatis et probatis in iudicio, quod fit per causae disceptationem (Lega, n. 533). Iudex de peracta conclusione in causa decretum ferre debet.

Exemplum decreti:

*Cum, partibus auditis, ipsae declaraverint nil habere quod exhibeant ad veritatem detegendam, et si etiam haberent Nobis videtur quod quae habentur in actis satis sint ad rectam administrationem iustitiae, praesenti decreto iuxta can. 1860 ad conclusionem in causa deveniendum esse disponimus, et statuimus spatium 30 dierum ad defensionalia scripta producenda, saltem quadruplici exemplari. Notarius autem hoc decretum statim partibus communicet.*

*Datum etc.*

Notarius N.

Officialis N.

Urgente tamen gravissima ratione iudex mediante decreto poterit ulteriora documentamittere, quod decretum alteri parti notum fiet, eidem concesso congruo tempore pro responsione:

En formula:

*(Indicatio diei et causae Tituli) N. N., ut probatur ex unitis allegationibus et attestationibus, non nisi ad ultimum reperit nova documenta quae exhibet, ideo instat ut admittantur.*

Supra dictam instantiam iudex rescribit vel *negative* vel hoc decretum: *Attenta instantia N. N.; attentis rerum adiunctis, unde probatur nonnisi ad ultimum documenta, quae exhibentur, fuisse reperta, haec eadem documenta, admitti in iudicium permittimus, congruo termino... dierum concesso ut super iisdem respondere possit pars adversa. Ideoque mandamus ut notificetur.*

Actuarius N.

Iudex N.

### CAPUT XXXVII.

#### DE PROCESSUS PUBLICATIONE

Can. 1858. — Ante causae discussionem et sententiam omnes probationes quae sunt in actis et quae adhuc secretae permanserunt, sunt publicandae.

Can. 1859. — Concessa partibus earumque advocatis facultate acta processualia inspiciendi petendique eorum exemplar, intelligitur facta publicatio processus.

1. Postquam testes auditi sunt, et documenta allata a partibus vel ex officio, tunc iudex suo decreto statuit publicationem processus, seu facultatem concedit partibus vel eorum advocatis ut acta processualia inspiciant ad se defendendos contra partem adversam, et ad nova acta vel testimonia producenda, si velint.

2. In causis matrimonialibus defensor vinculi ius habet ut in allegando, petendo et respondendo, tum in scriptis, tum in defensione orali audiatur postremus; quare tribunal ne deveniat ad sententiam definitivam, nisi prius vinculi defensor interrogatus declaraverit sibi nihil deducendum vel inquirendum superesse: si vero vinculi defensor nihil deduxerit ante praefinitum a iudice iudicii diem, praesumitur eum nil iam deducendum habere.

Iudex hac formula utitur:

*In causa, de qua agitur, cum processus instructus censeatur, publicentur acta et partibus detur facultas inspiciendi acta processualia, et exemplar petendi.*

Datum.....

Actuarius N.

Iudex N.

### CAPUT XXXVIII.

#### DE CAUSAE DISCEPTATIONE

Can. 1862. — § 1. Facta conclusione in causa, iudex, pro suo prudenti arbitrio, partibus congruum temporis spatium praestituat ad defensiones suas seu allegationes sive per se sive per advocatum exhibendas.

§ 2. Hic terminus prorogari a iudice potest instante una parte, audita altera; vel etiam coarctari, utraque consentiente.

1. Defensiones, iuxta can. 1863 et seq., in scriptis conficiendae sunt, vel mandato iudicis etiam tipis imprimi poterunt una cum documentis principalibus, sed antequam imprimantur necessario requiritur iudicis venia, qui in calce rescribit:

« poterit imprimi — N. iudex ».

Defensiones inter partes vicissim communicantur, ut utrique parti responsiones exhibere liceat sed una tantum vice, speciali concessione iudicis excepta.

2. Defensio tribus partibus principalibus constare debet, nempe a) facti species, b) quoad ius, c) quoad factum, et conclusio.

3. Post defensiones in scriptis praesentatas a partibus vel eorum advocatis, et a Prom. Iustitiae vel Vinculi Defensore, datur a iudice tempus utile ad responsiones faciendas sequenti decreto:

*Cum advocati partium et Prom. Iust. (vel Vinculi Defensor) ad normam can. 1863, scripta defensionalia inter se mutuo dederint, Tribunal ad normam can. 1865 statuit tempus quindecim dierum ad responsiones praesentandas. Hoc tempore inutiliter elapso, procedatur ad prolationem et publicationem sententiae; et hoc decretum notificetur ad normam iuris.*

Datum etc.

Notarius N.

Officialis N.

CAPUT XXXIX.

DE SENTENTIAE DISCUSSIONE

Can. 1871. — § 1. In tribunali collegiali, qua die et hora iudices ad deliberandum conveniant, collegii praeses constituat; et nisi peculiaris causa aliud suadeat, in ipsa tribunalis sede conventus habeatur.

§ 2. Assignata conventui die, singuli iudices scriptas afferent conclusiones suas in merito causae, et rationes tam in facto quam in iure, quibus ad conclusionem suam venerint: quae conclusiones actis causae adiungantur, secreto servandae.

§ 3. Prolatis ex ordine, secundum praecedentiam, ita tamen ut semper a causae ponente seu relatore initium fiat, singulorum conclusionibus, habeatur moderata discussio sub tribunalis praesidis ductu, praesertim ut constabiliatur quid statuendum sit in parte dispositiva sententiae.

§ 4. In discussione autem fas unicuique est a pristina sua conclusione recedere.

§ 5. Quod si iudices in prima discussione ad hanc sententiam devenire aut nolint aut nequeant, differri poterit decisio ad novum conventum; qui tamen ultra hebdomadam compe-  
rendinari non debet.

Sessio ita concludi potest:

*Audito voto ponentis in causa, necnon aliorum iudicum, omnibus sedulo perpensis, et discussione peracta tum de iure tum de facto, dubio concordato iudices seorsum responderunt et declaraverunt (exempli gratia):*

*Negative ad primum; affirmative ad secundum et firmavit manu propria. — N. N. Officialis.*

*Negative ad primum; affirmative ad secundum et firmavit manu propria. — N. N. Iudex.*

*Affirmative ad primum; negative ad secundum et firmavit manu propria. — N. N. Iudex.*

*Officialis mandavit ut sententiae prolatio clare et sedulo in actis processus per notarium notetur, et decrevit per ponentem sententiam in scriptis exarandam.*

*Notarius N.*

*N. Officialis*

*N. Iudex*

*N. Iudex*

CAPUT XL.

DE SENTENTIAE PROLATIONE

Can. 1870. — Sententia ferri a iudice debet, expleta causae disceptatione; et si causa sit implicatior et contentionum vel documentorum mole difficilior, interponi potest congruum temporis intervallum.

Can. 1872. — Si unicus sit iudex, ipsius tantum est sententiam exarare; in tribunali vero collegiali servetur praescriptum can. 1584.

Can. 1584. — Tribunalis collegialis praeses debet unum de iudicibus collegii ponentem seu relatores designare qui in coetu iudicum de causa referat et sententias in scriptis redigat; et ipsi idem praeses potest alium ex iusta causa substituere.

Ut valida sententia sit debent observari sollemnitates a iure requisitae, nempe:

a) Sententia proferenda est conformiter libello actoris seu iuxta dubium concordatum.

b) Debet esse certa, determinata, idest non alternativa, et absoluta seu non conditionata.

c) In sententia exprimi debent rationes sive in iure sive in facto quibus iudex fuit inductus ad eam edendam.

d) Edatur necesse est in loco ad iudicia ferenda destinato.

e) Vetitum est sententias ferri diebus feriatis, iuxta c. 1639, nempe in diebus festis de praecepto et ultimis tribus diebus hebdomadae sanctae.

f) Sententia scripto exarata exprimere debet nomina iudicum, actoris, rei, procuratoris, prom. iustitiae, defens. vinculi, si adfuerunt.

g) In ipsa decernere iudex debet etiam de expensis, quae si non adsint in tabellis taxarum Curiae, relinquuntur arbitrio iudicis determinandae.

Sententiae exemplar:

ROMANA = Nullitatis Matrimonii  
(G. - P.)

In nomine Domini.

Pio PP. XI feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno decimo, die 16 decembris 1931, RR. PP. DD. N. N. Officialis, N. N. et N. N. Iudices adiutores in causa ROMANA — Nullitatis Matrimonii — inter actricem N. N., repraesentatam per advocatum R. D. Ivonem Benedetti, et reum conventum, N. N. Romae ambo domicilium habentes, interveniente et disceptante in causa R. D. N. N. Defensore Vinculi, hanc tulerunt definitivam sententiam:

1) FACTI SPECIES: G. N. 17 annos nata cognovit F. P. a matre praesentatum, qui tamen ei non placuit, immo statim suam repugnantiam expressit. Sed mater putans ex hoc matrimonio omnia fausta ventura esse suae familiae sive ex divitiis quas iactitabat pater F. sive ex nobilitate eius, illud voluit verbis, minis et factis. Post aliquot menses matrimonium celebratum est contra voluntatem G. N. quae prima nocte noluit cum viro decumbere, et primo mane domo aufugit. Rediit postea sed vita coniugalis fuit semper litigiosa, nunquam pacifica. G. supplicem libellum Urbis vicario obtulit ut matrimonium nullum declararetur ex capite vis et metus, et dubio concordato, quaestio dirimenda venit solita dubitandi formula: An constet de nullitate matrimonii in casu.

2) IN IURE. Nullum est matrimonium initum ob metum absolute vel relative gravem necnon reverentialem qualificatum, iniustum, ab extrinseco a causa libera illatum, ad extorquendum consensum matrimonialem directum, a quo ut quis se liberet, connubium eligere cogatur.

3) IN FACTO . . . . .

Quibus omnibus consideratis atque in iure et in facto attente perpensis, Nos infrascripti Officialis et Iudices pro tribunali sedentes solumque Deum prae oculis habentes, Christi Nomine invocato, dicimus, declaramus ac definitive sententiamus: «constare de nullitate matrimonii in casu», seu proposito dubio respondemus AFFIRMATIVE. Expensas autem causae ab actrice sustinendas esse decernimus.

Atque ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum atque ministris tribunalium, ad quos spectat, ut executioni committant hanc Nostram definitivam sententiam ad normam sacrorum canonum.

Datum Romae, in Aula S. Tribunalis, die 8 augusti 1931.

Sign.: N. N. Officialis  
N. N. iudex  
N. N. iudex

Ex Cancellaria, die 18 novembris 1931.

(L. † S.).

N. N. Notarius.

CAPUT XLI.

DE SENTENTIAE PUBLICATIONE

Can. 1877. — Publicatio sententiae fieri potest tribus modis, vel citando partes ad audiendam sententiae lectionem sollemniter factam a iudice pro tribunali sedente; vel partibus denunciando sententiam esse penes cancellariam tribunalis, unaque facultatem ipsis fieri eandem legendi et eiusdem exemplar petendi; vel tandem, ubi usus viget, sententiae exemplar transmittendo ad partes per publicos tabellarios ad normam can. 1719.

1. Prolata sententia, videndum est (conf. Sebastianelli, de iud., 188) an sit valida vel invalida. Si invalida fuerit sententia, datur adversum eam querela nullitatis. Si valida, litem finit, quando victus expresse vel tacite sententiae acquiescit; expresse per expressam litis renunciationem victori factam, tacite si intra decem dies ab ea victus non appellavit. Decendium vero computandum est a prolacione sententiae si lata fuerit in praesentes; a die habitae notitiae sententiae, idest ab eius notificatione atque intimatione, si lata fuerit in absentes. Quando hoc habetur sententia transit in rem iudicatam. Tamen nunquam transeunt in rem iudicatam sententiae in causis matrimonialibus (can. 1989), quae retractari possunt, si adsint nova argumenta.